

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

ANTIDOTO NOVO

ADVERSUS VIPERARVM MORSVM

PRAESENTISSIMO

IN ANGLIA HAUD ITA PRIDEM

DETECTO

QVAM

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO

PHILOSOPH. ET MED. D. ANAT. ET BOTAN. PROF.

PVBL. ORDIN. AC SOCIET. IMPER. NATVR. CVR. ET

REGIAR. LONDIN. ET BEROLIN. SOCIO

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XI. SEPT. A. S. M D C C X X X V I.

H. L. Q. C.

VENTILANDAM PROPONIT,

FRIDERICVS GENSLERVS *Gedanensis*

MEDICVS PRACTICVS.

VITEMBERGAE, LITERIS SCHLOMACHIANIS.

DISSECTATIO IN ANATOMIA MEDICA

ANTIDOTO NOVO

ADVERSUS VIPERARVM MORBVM

PRAESENTISSIMO

IN ANGLIA HAUD ITA PRIDEM

DELECTO

OVAM

PRAGMATE

DR. ABRAHAMO VATERO

PHYSICO ET MEDICO BATAVO ET BOTANICO

PROFESSORE ET IMPERIALI ACADEMIAE

SCIENTIARVM ET ARTIVM IN VIENNA

PRO GRADU DOCTORIS

IN MEDICINA

IN VIENNA

ANNO DOMINI 1714

BRIGITAE

IN VIENNA





Q. D. B. V.



DE Antidoto adversus morsum
viperarum, noviter in Anglia
detecto, quaedam commentatu-
ri, non opus fore judicamus,
ut vocis antidoti significacionem
fufius exponamus, cum nemo facile fit, quem la-
teat, eadem remedium contra venena intelli-
gi. Neque etiam quis a nobis expectet, ut in exp-
licanda natura venenorum in genere, horumque
differentia & varietate, modoque operandi, verbo-
fiores fimus, quia hoc ab aliis actum est, nec in-
stituti ratio id permittit. Hoc quidem certum,
atque

atque ab Auctoribus sufficienter demonstratum est, quod, uti veneni vox a priscis Latinis Scriptoribus ambigue, & nunc pro deleterio, nunc pro salutari remedio usurpata fuit, teste *Gellio Noct. Attic.* ita nullum derur venenum absolute tale, id est, noxium ac vitae animalium infestum, sed quod omnia sint corpora naturalia in se bona & innoxia imo ne ullo quidem excepto, utilem quandoque praestent medicinam. *Vid. Fritcius de virtute Venenorum Medica, conf. etiam B. Parentis Physf. Exper. in Appendi.* Comprobat hoc, ut reliqua nunc taceamus, vipera suo exemplo, quae per se & in praeparatis, non tantum contra varios morbos, ipsumque morsum viperæ utiliter solet adhiberi, sed cujus etiam saliva venenata perinde, ac capita integra horum animalium ore hausta ac deglutita, nihil noxae inferunt, de quo legi meretur *Francisc. Redi observ. de Viperis in Ephemer. Germ. Dec. I. A. I. & II.* Nihilo tamen fecius vulnera a viperis vivis inflictæ, imo dentibus mortuarum facta, ac saliva earum simul vulnere infillata, dira symptomata, ipsamque mortem brevi inducant, uti experientia docet, & experimenta *loc. cit.* adducta confirmant. Notatu dignum imprimis est, vulnera a
vipera:

vipera inflictâ, non tantum aliis animalibus, sed sibi ipsi etiam esse exitalia, quod curiosissimum comprobatur experimentum, a Capitaneo Hall in Carolina Meridionalis Americae Anno 1720. factum, quod ab Illustri *Sloane* cum Societate Regia communicatum in *Transact.* Vol. XXXIV. n. 399. n. VII. consignatum est. Ille nimirum post varia tentamina cum canibus, a vipera caudifona morsus, infiruta, tandem ut vim hujus morsus, in ipsa vipera experiretur, illam suspensam, acubus baculo infixis, pupugit & vellicavit tandem, usque dum se ipsam morderet, quo viso, istam in terram demisit, ubi octo ad duodecim minorum intervallo, mortua est. Quapropter non immerito de Antidoto, huic veneno opponendo, ac ad symptomata funesta atque fatales eventus, ab eodem metuendos, præcavendos & avertendos, solliciti sunt Medici. Varia quidem sunt ab Auctoribus observata, uti infra videbimus: in tractatione, singulare tamen in Anglia recenter detectum, atque experimentis comprobatum, in præsentem producimus. Communicavit idem nobiscum *Clariff. Sprengell Eques Auratus ac Medicus Londinensis primarius, itemque Societ. Reg. atque Collegii Med. Sodalis in literis Anno MDCC XXXIV. ad nos datis. Non possum*

non certiore te reddere de experimento curiosissimo atque
utilissimo, quod heri videre mihi contigit. Vir nimirum
plebeius piperas duas diversas brachiis suis denudatis
applicuit, a quibus irritatis in utroque vulneratus est.
Accepto vulnere, brachia mox insigniter intumescere cœpe-
runt, pulsus debilis tardusque evasit, parumque absuit, ut
lipothymia afficeretur. Hoc viso, loca vulnerata inungeban-
tur oleo quodam, quo factò, brevl pulsus celerior redditus
est, homo vires recuperavit, atque omnis noxæ immunis
abiit. Idem hodie in domo mea experimentum multoties in
brutis, columba, gallina, aliquot porcellis, felibus atque in
cane magno repetiit, eodem ubivis eventu. Nullum quippe
horum mortuum est, sed cuncta evaserunt, exceptis iis, in
quibus, ut vim venenati morsus experiremur, remedium
non est applicatum. Nulla hic subest impostura, aut
vaniloquentia, sed negotium re ipsa ita actum est,
multique mecum experimenta viderunt. Scire cupis,
quale hoc fuerit arcanum, tantis viribus pollens?
Miraberis haud dubio, si tibi manifestavero, nullum
aliud hoc esse, quam simplicissimum oleum olivarum,
quod stupendum hunc effectum, nobis præsentibus &
admirantibus, edidit. Hactenus ille. Novitate
rei permotus, opravimus quidem, ut nobis
ipsis, rem hanc experiundi, se offerret occasio, sed
voti

voti nostri compotes non sumus facti. Communica-
veram tamen eo tempore experimenta
ista Londini facta, cum Clariss. Dn. D. Vatero,
Medico Dresdensi, Patruely meo amantissimo,
qui superiori anno, data occasione, rei veritatem
atque remedii hujus efficaciam expertus est. O-
perae pretium videtur, ut casum singularem,
publici juris faciamus, atque in praesenti dissertati-
one inaugurali de morsu viperarum, hujusque an-
tidotis, ac sigillatim olei oliuarum efficacia, quaedam
proponamus. Faxit Divinum Numen, ut labor hic
cedat in sui honorem, hominumque afflictorum
emolumentum.

HISTORIA

Minister Pharmacopoeus in Officina Re-
gia Dresdensi, primarius, Provi-
sor alias dictus, superiori anno vi-
peras Italicas pro aegro illustri praeparans
per incuriam ab una earundem in manus di-
gito morsus est. Hic, accepto vulnere, per-
terri-

territus, ad libros Medicos evolvendos ad-
volavit, remedium quaesiturus, quo periculum,
quod sibi imminere intelligebat, averteret. Sed
parum solatii in dictis libris invenit, contra
summopere contristatus est, cum in uno eorum
legeret, vulnera a viperis inflicta, communiter
esse lethalia, parumque auxilii superesse. In his
angustis constitutus, varia quidem, interque
ea etiam Theriacam extrinsecus vulnere im-
posuit, sed nullum inde levamen sensit, ut po-
tius intercedentibus aliquot horis, totum bra-
chium enormiter intumesceret, aegerque imma-
nes in eo dolores, ac insignes tensiones sub ala,
cor versus, cum virium defectu, persentisceret.
De vita igitur, omnibus incassum adhibitis,
fere desperans, ad laudatum Parruelem meum
D. Vaterum confugit, atque ab ipso auxilium
petiit. Hic de olei olivarum virtute in hoc ca-
su, uti dictum, ex relatione ad ipsum data,
certior factus, statim brachium totum eodem
iterato largiter & calide inungere jussit, a
quo

quo mox optatus effectus secutus est. Brachium enim, post unam aut alteram inunctionem, detumescere coepit, dolores cum reliquis symptomatibus mitigati sunt, & sensim cessarunt, aegerque intra unum alterumve diem perfecte convaleuit. Nihil interea intus propinatum est, praeter Misturam simplicem, cum Liquore minerali anodyno, ex consilio dicti Medici, a cuius usu sudor largissimus, cum insigni aegri levamine, secutus est. Non diffitemur, multum hoc remedium ad curam felicem contribuisse, primariae tamen partes in hoc negotio, oleo oliivarum adscribendae erunt, quia ab ejus inunctione, ex-templa symptomata remiserunt. Totam historiam ex ipsius Pharmacopoei demorsi ac ita sanati ore habeo.

Thes.

B

THES. I.

*Viperarum
natura &
varietas*

Antequam de morfu viperarum venenato, ejusque antidotis, sigillatim de olei olivarum virtute ac efficacia agamus, de earundem prius natura & indole, itemque diversitate & speciebus, paucis quaedam sunt monenda. Viperas ex serpentum familia esse, res est in vulgus nota. Nomen inde accepisse creditur vipera, quod vi aut viro perimat, aut quod sola, secus ac aliae serpentes, fetus vivos edat, adeo vipera, quasi vivipara audiat. *Vid. Severin. de Vipera Pythia p. 71. & 91.* Cui quidem sententiae contradicit *Hoffmannus in Clav. Pharmac. Schröder. pag. 688.* & in serpentibus quoque vivos fetus deprehendi, asserit. Plures conditiones, quibus a reliquis angvibus discernitur, *vid. apud Sederinum loc. cit. p. 260.* Prae aliis, ob morsum imprimis virulentum ac deleterium, male audit, quem in homine perinde, ac animalibus brutis, Symptomatum funestissimorum syndrome, ipsaque mors, sequitur. Ea propter antiquitus emblematis loco fuit vipera, quo rem quamvis damnosam, perniciosissimam

&

& exitialem indigitarunt, veteresque easdem excutores vindictae divinae crediderunt, quod vel solo exemplo divi Pauli constat, quem Melitenses populi cum vipera a manu pendula videntes, propterea malefactorem aut homicidam esse judicarunt, eundemque fluctus maris procellosi licet effugientem, vindictam divinam superstitem esse nolle, clamarunt. Differunt autem viperae tum magnitudine & corporis mole, qua tamen a reliquis serpentibus superantur, tum patria, quia Italicæ, & aliarum calidarum regionum, nostras malignitate & virulentia antecellere observantur. Imprimis India Orientalis, serpentes stupendae magnitudinis alit, quorum quosdam tantae vastitatis perhibent, ut integros homines atque bruta, imo urobalos deglutire possint, referente *Cleyero* Proto-Medico Bataviae Indiae Orientalis ad *Menzelium*, uti videre licet *Ephem. Germ. Dec. II. A. II. obs. VII.* quamvis quod uros atinet, nihil se comperisse dicit *Kaempferus*, ac propterea ad nugas fabulantis vulgi id referat in *Amoenit. Exot. Fasc. III. obser. IX. p. 573.* Ibidem autem producit viperae speciem, quae Indis Naia, Lusitanis Cobras de Cabo dicitur, quae eodem narrante, ferox & homini-

bus infensissima bestia est, quae mordendo exitiale virus vulnere instillat, unde subito anxietates cordis, lipothymiae, atque neglecto alexipharmaci maturo usu, mors sequitur. Peculiarem praeterea viperam India Occidentalis, America patefecit, quae caudifona appellatur, ita dicta, quod in cauda singularia crepitacula, ex annulis mobilibus, ultimae vertebrae adnatis, conflata gerit, quarum ope multiplicatum sonum edit, quo admoniti homines aequae ac bruta, tempestive sibi cavere possunt, a tam pernicioso colubro. vid. *Anatomia ejus ab Eduard. Tyson Medico Londinensi descripta, excerpta ex Transact. Philos. in Actis Erudit. Mens. Mart. A. M. DC. LXXXIV. p. 138. Plura de hac Transact. Philosoph. Vol. XXXII. n. 376. n. 4. & Vol. XXXIV. n. 399. N. 7.*

THES. II.

Morsus viperarum venenati effectus in homine & brutis

A morsu viperarum, uti ex parte jam vidimus, in homine extemplo atrocissima excitantur symptomata. Membrum vulnere tactum acerbissime dolet, atque enormiter intumescit, facies pallescit, sen-

sensimque cum reliquo corpore flavescit, ac ictero afficitur, totum corpus occupat tremor, oritur anxietas praecordiorum, inquietudo ac tristitia, pulsus fit debilis ac interruptus, cum palpitationibus cordis animique deliquiis, accedunt horrores, nausea & conatus vomendi, motusque convulsivi, tandemque aeger, nisi cito eidem succurratur, nunc citius, nunc tardius, brevi tamen temporis spatio exspirat. Eosdem propemodum effectus morsus viperarum in brutis edit, cujus rei experimentum in capra majori fecit *Mangelus*, uti refert in *Bibliotheca. Medic. Pract. L. XVIII. p. 853.* quae a vipera irritata, vulnus naribus inflictum accepit, unde illa ipso momento tremula facta, vix ab una parte domus in aliam, prae debilitate, migrare potuit. Abhinc humi cubuit, tremulosque per totum corpus motus, cum abdominis distensione passa est. Post horae circiter quadrantem salivatio, eaque admodum viscosa & spumosa exorta est, & ad aliquot minuta talis perduravit. Inde in dyspnoeam incidit, qua paulum imminuta, somno correpta est, quem rursus subsequuta est salivatio, sed tenuis, ac minus, quam prior, spumosa. Somnus hinc cum intensiori dyspnoea, comiteque

stertore, ingenti partium omnium tremore, & muscutorum colli convulsiva tensione, eam corripuit. Salivatio interea non ita copiosa substitit, dyspnoea & tremor sensim remiserunt, ac oculos identidem aperuit, donec post duas, cum unius quadrante, a morsu horas, pedibus insistens, rigida & quasi cataleptica facta, non ita tamen pertinaciter immobilis, quin excitata atque aliquatenus adacta, horae quadrantem per cameram obambulet, donec veneni vi rursus prostrata, & vehementioribus motibus convulsivis succussa, toto tandem corpore resoluta perierit. Sed breviori temporis intervallo, effectum funestum producit, morsus viperarum in animalibus minoribus. Ictus a vipera turtur, quem *Steno* obiecit, narrante *Borrichio in Act. Medic. Hafniens. Vol. V. p. 268. obs. 100.* tremore initio correptus est, ambulans inde tantillum, sed ebrio ac vacillanti similis, spatioque exiguo interiecto, post convulsiones insignes, in dorsum decumbens, exspiravit. Vipera enim, observante *Redi in Epistol. II.* occidit facilius columbam, pullum gallinaceum, Gallum Indicum, sciurum, glirem & alia, tum aves, tum animalia minora, quam bestias grandiores, ut sunt verrex, dama, equus, taurus, imo majora ista, & pelle duri

durissima instructa saepissime non occidit. Secundum magnitudinem animalis, & secundum locum, quem vipera feriit, sequitur mors citius aut tardius, *vid. Ephemer. Germ. Ann. II. p. 414.*

THES. III.

Venenum hoc adeo deleterium, symptomatum istorum atrocissimorum causa, in quo consistat, & in qua corporis viperarum parte resideat, maximus auctorum, in diversas partes abeuntium, dissensus observatur. Veteres, uti multa fabulosa, de viperarum generatione & indole tradiderunt, ita easdem totas ac in omnibus suis partibus venenatas esse, persuasi fuerunt, vel varias earum partes veneni suspectas crediderunt, atque hoc nomine nunc caput, nunc oculos vel linguam, modo caudam, aut etiam bilem accufarunt, *vid Severinus loc. citat P. II. p. 273 seqq.* At enim vero recentiorum in perscrutanda natura viperarum diligentia, ac instituendis variis tentaminibus, ad indagandam veneni huius rationem adhibitis, solertia effecit, ut hodie sciamus, neque

totas

Veneni viperini examen.

rotas vyperas, neque ullam earum partem, sive solidam, sive fluidam esse venenatam, excepta sola saliva, in vesiculis, juxta dentes incisorios majores, stagnante. Atque ne haec quidem, ore hausta & deglutita, venenatum effectum edit, uti supra vidimus, sed solum mordendo, a vipera vulneri simul instillata, aut vulneri, alio instrumento facto, affricata, sanguinique ibidem immediate mixta, horrendorum istorum effectuum, antea enumeratorum, causa existit, uti experimenta a *Francisco Redi* loc. cit. consignata, confirmant. Huic quidem adversarium ea in re se praebuit *Moses Charas*, qui duplici Tractatu, *experimenta nova circa vyperas* inscripto, id egit, ut demonstraret, liquorem hunc flavum salivalem insontem plane esse, malignitatem ejusdem fictitiam appellans, & venenatos effectus, spiritibus viperæ ad iram concitatae, efferatis, ac ideae vindictæ, quam sibi formavit, adscribens, plurimaque experimenta in contrarium, pro demonstranda natura salivæ viperinæ innoxia, facta adduxit. Dubiis tamen ab ipso factis, satisfecit laudatus *Redi* in *Epist. ad Abbatem Bourdelot & Alexandrum Morum* loc. citat. cujus adeo sententia apud plerosque praevaluit. Ad indolem hujus

hujus liquoris salivalis quod attinet, colore & sapore simillimum olei amygdalarum dulcium esse, perhibet *Redi obser. de viperis loc. citat. in Ephemer. German.* A. I. Sale tamen, eoque volatili, uti aliorum animalium, imprimis insectorum humores, eundem esse turgidissimum, singulari admodumque elegantî experimento comprobavit *Clarissimus Mead, in Tract. Anglico, Mechanical Account of Poisons in Several Essays.* Excepit nimirum ille salivam a vipera irritata, mordendo dentes in corpus solidum oblatum insigente, effusam, ac sollicite collectam, plano vitri politi imposuit & microscopio examinavit. Primo intuitu nihil, praeter congeriem spiculorum salinorum, in liquido velocissime agitatorum, apparuit, sed brevi facies mutata est, postquam evaporato humido, spicula ista salina in crystallos incredibilis tenuitatis & aciei abierunt, quae hinc inde nodulis, quasi punctis crystallisationis, inter se connexae fuerunt, adeo ut telam aranearum, contextu suo tamen infinite subtiliori, exhiberent, tantae soliditatis ut per plures menses, in vitri superficie absque ulla alteratione persisterent. Idem laudatus vir, naturam hujus salis ulterius examinaturus, non obstante exilissima ejus quantitate, tincturam Helio-

C

tropii

tropii coeruleam instillavit, quam more acidorum in rubicundam mutavit. Praeter lacerationem itaque partium membranarum & nervosarum, dentibus subtilissimis hisque uncinatis factam, hae partes etiam a spiculis salinis irritatae, in spasmos aguntur, ac hoc ipso affluxus humorum, dolor acutissimus, ac intumescentia membri vulnerati producit non tantum, sed etiam spicula ista sanguini immediate permixta, ac circumacta, tantas in corpore turbas, diraque symptomata excitant.

THES. IV.

*Phaenomena
in sectione
brutorum,
morsu viperarum
enecatorum ob-
servata.*

Universum quippe sanguinis circulum a veneno hoc admixto vehementer non tantum confundi, atque secretiones ac motus tum liquidi nervosi, tum bilis valde turbari, testantur symptomata atrocissima, pulsus debilis & interruptus, lipothymiae, palpitationes cordis, conatusque vomendi, tremor totius corporis atque convulsiones, icterus etc: presso pede insequentia; sed etiam sanguinis ipsius crasin atque texturam destructum iri, monstrarunt sectiones brutorum ex morsu viperarum enecatorum. *Mangelar*

37

in Biblioth. Med. Pract. L. XVIII. Tom. IV. pag. 352.
canum aliorumque animalium sectiones a se factas, recenset. In cadavere canis, in trunco venae cavae nonnihil sanguinis concreti se reperisse dicit, reliquum vero sanguinem ibi loci, in corde & ubique fuscum & obscuri coloris observavit, vitiosae consistentiae, qualis sanguis ex parte dissolutus & corruptus. Viscera autem omnia naturalis fuerunt coloris, praeter ventriculum, cujus color quodammodo obscurus, sed manifestius in mesenterio & intestinis. In alio cane nullus sanguis coagulatus repertus est, totus tamen coloris obscuri, vitiosaeque consistentiae, cum manifesta ad concretionem propensione, apparuit. In alio cane, cujus lingua a vipera morsa, haec livida evasit, totumque mesenterium maculis lividis conspersum fuit, quarum plurimae lentium magnitudinem superarunt, sub quibus sanguis concretus delituit. In columba atque pullo gallinaceo, nonnihil sanguinis concreti in corde & vena cava repertum est, reliquo cruore nigricante, ac ad coagulationem vergente, & dissolutioni & corruptioni proximo, viscera vero ceteraeque partes internae coloris floridi, recteque constitutae fuerunt. Ex his patet vis atque efficacia virulenti istius succi, quem

vipera mordendo vulnere instillat, cum exilissima ac vix sensibilis quantitas hujus liquoris, universam massam sanguineam in tantas turbas agere, ac compagem ejus destruere valeat. Non immerito itaque cum fermento comparatur ejus activitas modusque agendi, quia in fluido vitali motus peregrinos, fermentationi analogos excitat, utut hae voces in sensu proprio, monente laudato *Mead. loc. citat. p. 14.* non sint accipiendae, quo fermentatio in corporis animalis humoribus non datur. Pulchre rem illustrat experimentum, quod in India factum, *D. Tyson in Philosoph. Transact. Vol. XII. n. 144.* citante *D. Mead. l. c.* refert: Venit ad illum Indus cum variis diversarum specierum serpentibus, inter quas Cobra de Cabo fuit, ex qua particulam minutissimam salivae expressam, instillavit sanguini coagulato, vulnere, ab alio serpente femori ipsius, praemissa ligatura, inflictio, adhaerenti, a quo sanguis ille coagulatus in fluorem & fermentationem quasi actus, mox in flavum liquorem abiit. Cujus naturae sit sal illud, quo turget saliva viperina, utrum sit acidum, an vero alcalicum, difficile est determinare. Vidimus supra quidem experimento Meadiano, spicula in vitro polito, a saliva viperina relictis, acidorum more, tincturam

ram cœruleam in rubicundam mutasse, adeoque acidae indolis esse videtur venenum viperinum, quemadmodum etiam *Bernerus in observat. de aranea punctura*, Exercitationi Physic. Medic. de Applicatione Mechanismi ad Medicinam annexa, liquorem viscidum ab aranea ictu communicatum, acido volatili esse dicit, atque inde symptomata ab ictu araneorum inducta deducit, & propterea rejicit eorum sententiam, qui morsum viperarum succo citri, aut alio acido curari posse perhibuerunt. Multum etiam huic doctrinae favet, quod sanguis coagulatus & ad coagulationem pronus, in animalibus brutis dissectis, re-
pertus fuerit. Sed nos in defectu priorum experimentorum, nihil hac in re decernimus, quia id nos longe nimis a scopo nostro abduceret. Notum enim & exploratum nobis est, quid huic sententiae opponi soleat, quod nimirum non tantum acida cum alcalibus, sed etiam acida diversa inter se effervescent, quod morbi acido principio communiter adscripti, acidis medicamentis sanentur, itemque quod coagulum sanguinis saepe fit effectus praegressae resolutionis, adeoque principium acidum non evincat, quia & acida volatilia resolvunt. Parum etiam

am refert, five acidum five alcalicum fal in faliva viperina ftatuatur, fufficit quod illud fanguinis crafi & texturae fit contrarium, ac compagem ejus destruat, atque oeconomiam animale[m] pefundet. In cura etiam non tam ad naturam iftius veneni acidam, au[tem] alcalicam, quam ad exclusionem ejus & eliminationem e corpore per diaphorefm refpiciendum eft, ad quam nunc progredimur.

THES. V.

Morfus Siperarum venenali cura per externa.

Ut itaque venenum hoc adeo virulentum ac deleterium, morfu viperae infinuatum, quanto cyus e corpore exterminetur, ac quo minus fanguinem inficiat, caveatur, aut fi iam ad illum penetraverit, idem omnibus modis per diaphorefm expellatur, varia tum extrinfecus applicata, tum intus fumpta, commendata & proficua obfervata, apud auctores confignata reperiuntur. Commendantur propterea ab aucto[r]ibus ligaturae membri fupra plagam, qua impeditur ftudent, quo minus virus malignum vulnere inftillatum, fe latus extendat, cor verfus ferpat, atque circulo fanguinis univerfali communitur.

cetur. Ad venenum vero ipsum è vulnere extrahendum, suctionem ore institutam, profuisse legimus, quo sine certos homines adhibuerunt veteres, quos Psyllos aut Marfos appellarunt, quorum corpori ingentium virus, serpentibus exitiale, esse crediderunt, adeo ut isti easdem solo odore sopire ac in fugam dare queant. Agnoyit tamen fallaciam suo jam tempore *Celsus L. V. C. XXVII. n. 3. affirmans; non, hercule, scientiam praecipuam habent hi, qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis non gustu, sed in vulnere nocet. Ergo quisquis exemplum Psylli secutus, id vulnus exuxerit, & ipse tutus erit & vitum hominem praestabit. Illud interea ante debet attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliade parte oris ulcus habeat. Vidimus nos etiam superius, succum virulentum viperarum, ore haustum atque deglutitum nihil nocere. Suctionis vicem supplere potest cucurbitula, aut quodlibet simile vas, adhibita simul scarificatione circa vulnus, quo plus vitii jam sanguinis extrahatur, quod *Idem loc. citat.* commendat. Porro ferrum candens vulnere, quantum quidem prae aestu ejus vicinitatem ferre potest, quam proxime admoveere jubent, referente Boyle in *Exercit. II. de Utilitat, Philosoph. Experim. usque dum**

uti

uti loqui amant, omne extraxerit venenum, quod ut oculares testes asseverant, saepius instar maculae subflavae, ferro adhaereat. Quam quidem rem *Idem loc. cit.* in medio relinquit, historiam tamen refert viri, à se eum in finem pretio conducti, qui a vipera ad iram concitata, in manu morsus, cultri candentis, decem aut duodecim minutorum intervallo vulnere admoti, beneficio, ab omni malo liber mansit, ac repetitione hujus experimenti, praemiis haud contemnendis positus est.

THES. VI.

*Per interna
Antidota.*

Pro usu interno ad expellendum venenum, Auctores valde laudant vipers ipsas, earumque capità ac viscera, imprimis hepata, maximeque ex iis paratum sal volatile. Eam ob causam Mithridatium, Regis Mithridatis Antidotum decantatissimum, additione carnis viperarum auxit Andromachus, cui propterea Theriacae nomen impositum est. Haec uti adversus alia venena, ita sigillatim contra animalium venenatorum morsum, specifica virtute pollere creditur, a-
deo,

deo, ut etiam praeservationis gratia assumpra a quibusuis uenenis tutos praestet. De hac *Galenus* aliique perhibent, quod ejus usu plurimi Imperatores ac Principes, qui eam opportune sumpserunt, a lethifera uenenorum noxa praeseruati sint, imo *Idem Cap. XVI. Lib. de Theriaca ad Pisonem*, de eadem affirmare non dubitavit, quod instar ignis cujusdam purgatorii illos, qui ipsam biberunt, a pestilentia praeseruet, neque permittat, ut eadem corripiantur. Ad demonstrandam virtutem alexipharmacam viperarum, varia experimenta in brutis ac hominibus facta, adducunt recentiores, quos inter *Charas in Libro novarum experientiarum circa vipers*, plurima adducit in diversis canibus & in fele instituta, quibus capita viperarum tosta, & omissa tostone, devoranda dedit, quae animalia a viperis irritatis morfa, omnia hujus antidoti beneficio evaserunt. Concludit propterea idem, rem esse certissimam, quod caput viperac tostum & deglutitum, morsum penitus sanat, & quod partes quaedam corporis, cor & hepar ejusdem sint efficaciac, unde in periculosa occasione ad hanc Medicinam sit confugiendum. *Mangelus pariter loc. citat.* adducit exemplum iuuenis, qui cum in medelam affectionis cujusdam

D

faciei

faciei crustosae, iuscula viperina ac sal volatile vipera-
rum adhiberet, aliquando a vipera forcipe compre-
hensa, altum inter pollicem & digitum indicem com-
morsus fuit, nec inde tamen quidpiam noxae retulit,
quod longo iam praedictorum iusculorum & salis usu
praemunitus quasi fuisset, in succi virulentissimi &
perniciosissimi expulsionem ac extinctionem, ac pro-
pterea nobilissimum ac praesentissimum hoc in casu me-
dicamentum vocat sal viperinum, totamque viperae
substantiam. Sed *Redi* repetitis iisdem experimentis
cum capite viperino, in canibus quidem duobus
eundem effectum expertus est, adeoque experimen-
tum inter res comprobatas numerare constituit, sed
oborto dubio, duos alios catellos, antidoto non de-
vorato, admorderi curavit, qui pariter mortui non
sunt, contra vero capo, duo catelli, octo pulli gal-
linacei, duo feles catuli, atque sex turtures, muniti
licet antidoto ex capitibus viperinis, morfu vipera-
rum interierunt, uti *idem testatur loc. citat.* Singu-
laris virtutis quoque hoc in casu praedicatur Po-
mum Citreum, uti videri potest in *Hoffmann. Clav.*
Pharmac. Schroed. quo loco non tantum historia
ex *Athenaeo* desumpta adducitur, ubi refertur,
quendam facinorosum, ad bestias damnatum, integri
pomi.

pomi citrei esu ab internecone aspidum fuisse vendicatum, sed etiam pro confirmanda hujus rei veritate, narratur casus studiosi Medicinae, Parisiis Gallorum a viperae morsu lethaliter fere decumbentis, nil quicquam proficientibus Theriaca, Orvietano, cauterio potenciali, sale viperarum volatili in aqua Theriacali hausto, salutifero pomorum citrinorum esu restituti. At enim vero saepius citatus *Redi* testatur, se duos pullos gallinaceos quatuor diebus continuo nutritisse hordeo, in decocto Citri infuso, ultimo eorum guttur frustulis citreorum & citrato implevisse, ac elapsis duabus horis a viperis morderi curasse, insuperque vulnus *Q. Essentia* corticum citri inunxisse, ambo autem intra tres horas morientes, Mansam ipsi colligendi dedisse, hanc medicinam esse frustraneam, & historiam *Athenaei* fabulosam. Praeter haec enarrata Antidota alia adhuc sunt, quae a virtute specifica, qua contra morsum viperarum gaudere creduntur, nomen etiam acceperunt, qualia sunt scorzonera, ab escorzo, quod viperam lingua Catalonica indicat, adeoque Vipera-ria dicta, ac Serpentaria Virginiana, itemque Lignum Colubrinum, quod vero potius radix ligno-

sa est, quia serpentum atque colubrorum morfi-
bus medeantur, ita appellata. Exquisita horum,
qua pollent, amarities omnino in istis virtutem di-
aphoreticam ac alexipharmacam satis evincit.

THES. VII.

*Duo Antido-
ta decanta-
tissima, Ra-
dix Mungos*

Progredimur nunc ad duo alia Antidota praeci-
pua, quae India Orientalis nobis praebuit, nu-
mero tot venenorum dirissimorum, quae incolae
ibidem maximopere reformidant, respon-
dentia. Alterum horum venenorum est morsus
serpentis Naia, Lusitanis Cobra de Cabelos, cujus
malignam indolem a Kaempfero notatam supra vidi-
mus. Alterum exhibet arbor Ipu, vel Upa, in abdi-
tis sylvarum Insulae Celebes locis crescens, quae
recens sauciata, fundit succum adeo exitialem, ut
referente itidem *Kaempfero loc. cit.* nisi arbor emi-
nus vulneretur, & ab ea parte, à qua ventus adspi-
rat, uel aura incumbit, aggressores erumpente halitu
suffocet, quam fortem etiam uolucres, arborem re-
cens uulneratam transuolantes, experiri feruntur,
quam-

quamobrem collectioni hujus succi lethiferi, morti ob malefacta damnatis solum committitur, qui ad vitam saluandam hastis longis & acutis, ex arundine magna & robusta factis, syluas dumis & belluis infestas ingredi & penetrare tenentur. Hoc succo exitioso Macasarienses lanceas & pugiones inficere dicuntur, quibus vulnera lethalia vix sanabilia infigunt Adversus ambo ista uenena adhibent & laudant bina memorata Antidota, radicem nimirum Mungos, atque Lapidem viperinum, quibus solis praedicta uenena, uix alio remedio uincibilia, sanari posse tradunt. Radix Mungos ab animalculo ejus nominis denominationem accepit, quod sciuri forma, alias etiam Mongutia, Mustela aut Vierra audit, a quo primum usus hujus radiceis detectus dicitur. Animal istud naturali odio, uelut catus glirem, serpentes prosequitur, ac perpetuum cum illis bellum gerit. Narrant de illo, quod ubi cum uipera dimicando, se morsum sentit, tantae fit sagacitatis, ut, relicto hoste, radicem dictam pro alexipharmaco quaerat, cujus esu restitutum, ad certamen redintegrandum reuertatur, ex quo uirtus radiceis primum innotuisse perhibetur.

D 3

Hanc

Hanc itaque exploratum antidotum, ad cuncta uenena, siue intro sumpta, siue corpori extrinsecus uulnere illata aestimant. Propterea tum praeferuationis, tum curationis gratia, radicem rudi saltem frictione super lapidem comminutam, aut cultiori modo puluerisatam, cum haustu aquae dulcis, siue alius liquoris assumunt, ipsi quoque loco uulnerato pulvem ex radice puluere cum sputo uel aqua factam, imponunt. Recenset haec omnia pluribus circumstantiis *Kaempferus in Amoenit. Exotic. Fasc. III.* quo loco etiam testatur, se radice hac, quae penetranti amaritie, ob quam planta tota, fel terrae audit, uirtutem alexipharmacam prodit, infebribus putridis morbisque malignis feliciter usum, multisque successibus infallibilem ejus efficaciam, aduersus canis rabidi morsum, in brutis aequae ac hominibus expertum fuisse. Videri etiam potest *Lochneri Schediasma*, quo Mungos animalculum & radix describitur, *in Ephemer. Germ. in Append. ad Cent. III. & IV.*

THES.

THES. VIII.

Alterum ex duobus commemoratis Indiae Antidotis, ^{Lapis Viperinus, Magnes uenenorum dicitur} constituit Lapis serpentinus aut Viperinus, quia extrinsecus locis faucibus impositus, firmiter adhaerens uenenum omne extrahat, Magnes etiam uenenorum dicitur. Hunc generari credunt in capite aut cerebro serpentis, Cobra de Cabelos uocatae, non quod pilis tegatur, nec quod capite operculum tanquam depressum pilum, hinc inde mobile gerat, sub quo praedictus lapis inueniatur, sed quoniam lacescita, cutem capitis utroque ceruicis latere inflare & in orbem planum, siue compressum, ad instar alae uel uittae, quae in dorso exactissimam imaginem conspicilli exhibet, extendere solet. *Conf. praeter Kaempfer. Valentin Hist. simpl. Musei Museorum titulo antea germanice edita.* In hujus serpentis capite generari lapidem istum, fabulantur Indiae populi, eundem tamen a sacerdotibus eorum, quos Brachmanes uocant, arte potius elaborari, coniciunt prudentiores, qualem formulam componendi talem lapidem, ad imitationem

tationem eorum, uidere est *in App. ad Ann. VI. & VII. Miscell. Curios. s: Ephemerid. German. in Dn. de Bernitz Fase. II. Medic. singul.* Lapidem dictum, ad uenenum é uulnere ueneno, siue cæsim, siue punctim, siue morfu inflicto extrahendum, certissimum & infallibile remedium esse tradunt, quando nempeloco vulnerato, aut morfo adhuc cruento aut scarificato applicatur, cui idem firmissime adhaeret. Hac ratione elicit ac imbibit uenenum, nec prius decedit, nisi extracto omni ueneno, aut lapide eodem factiati, quamobrem duo in promptu esse debent, alternatim adhibendi, lapis uero decidens confestim lacti calido, pro purificatione ejus, immergi debet. Ita enim uirus ex poris ejusdem elicitum, quod in superficie lactis colore flauo & coeruleo variegatum spectabile innatare, narrant, atque sic lapis nouo usui aptus redditur. *Kaempferus* quidem parum fiduciae in uirtute hujus lapidis collocat, ualorem tamen ejus in suspenso relinquit, nunquam ipse illius efficaciam expertus. In casibus siquidem ipsi obuenientibus, ad sacram suam ancoram, uti uocat Theriacam, se potius confugisse profitetur, quam ligato prius membro, uulneri scarificato, post factam

factam sanguinis expressionem, affricuit, propinata
insuper ejusdem electuarii portione pro sudorifero.
Refert tamen idem casum oppido rarum, quem ipsi
Dominus de Pavillon, Gubernator provinciae Cho-
romandelo narravit, & tota testata est spectatrix
ejusdem familiae, qui domi suae acciderat, quem
huc inferere operae pretium censemus. *Una nempe
ex servis domesticis a Cobras de Cabelo morsa, ar-
dentissimos plorabat dolores. Productus illico & impositus
lapis est; quo decidente, cum nec lapis prae-
terea alius, nec lac dulce in promptu esset, quod po-
ros elueret, nutrix, in tam pernici malo anxia,
lapidi immulsi ex suis uberibus. Ex quo vero illi papilla
confestim dolere, mox uber ejusdem lateris intumescere
coepit, non sine vitae discrimine, in quo triduum ver-
sabat, ab uberis duritie vix decem diebus liberata.
Papillam autem habuerat aliquantillum ab alumni
gingiva excoriatam, adeoque reclusis venulis aptam,*
E quae

quae veneni inquinamenta reciperet, calenti lacte elicit.
Possideo duos tales lapides cum radice Mungos, sed
nulla eorum vires experiundi se obtulit occasio.
Reminiscor tamen historiam, quam ante triginta &
duos aut tres annos B. Parenti & mihi, B. Spenerus,
Medicus Aulicus Berolini, cum ipsum inviseremus,
retulit. Monstrando enim nobis inter alia curiosa,
quae possidebat, pugionem Macassarientem & lapi-
dem viperinum, narrabat, studiosum quendam Me-
dicinae in suis aedibus, de istius pugionis indole
venenata dubitando, cutem in manu propria leviter
vulnerasse, ut quid subit, experiretur. At ambo cum
reliquis praesentibus valdopere perterriti fuerunt,
cum vidissent, manum cum brachio toto mox in-
tumescente & acuto dolore affligi. Applicato tamen
subito lapide dicto, dolorem remississe, ac tumorem
sensim imminutum, nec funesti quid ulterius secutum
fuisse, idem nobis asseveravit. Nos, uti propria ex-
perien-

perientia destituimur, ita rem merito in medio relin-
quimus, & si quid hoc in casu praestat lapis, id
non tam magnetismo quodam, quam sola porositate
sua, firmiter adhaerendo parti vulneratae & fauciae,
fangvinem extillantem, eidemque ibi admixtum vi-
rus, imbibendo, perficere iudicamus, id quod forsitan
bolus armena, terra sigillata, unicornu fossile, alia-
que sicciora & porosa corpora applicata praestare
poterunt.

THES. IX.

Nunc ad Antidotum nostrum, cujus usus in morsu Antidotum
noviter de-
scriptum. Ole-
um olivarum.
viperae noviter detectus, Oleum nimirum oli-
varum accedimus, ut videamus, quomodo hoc
loco morsu viperae tacto inunctum, sequelas ejus

E 2

funestas

funestas avertere quaet. Hoc licet vilissimum, hactenus recensitis tamen erit anteferendum, quia vulgare, facile parabile, ac ubivis in casu necessitatis obvium est, si modo virtus ejus constanti experientia fuerit confirmata. De hoc tamen nullatenus dubitandum, ut potius spes affulgeat certissima, fore, ut plura experimenta facta, rem istam extra omnem dubitationis aleam ponant, si modo olei istius naturam atque effectus paulo curatius perpendamus. Non est ut de ortu, varietate ac multiplici ejusdem in vita communi utilitate quicquam hic adiciamus, cum haec in vulgus sint nota. Neque usus ejus, in Pharmacia & Medicina ampliissimus, ignotus est, quia inter omnes constat, nullam facile oleum coctum & infusum, aut unguentum emplastrum, atque clysterem esse, quem idem non ingrediatur, illud per se etiam emolliendi & lubricandi gratia intus & extus usurpari. Nobis nunc
solum

solum cum virtute ipsius alexipharmaca, qua venenis resistit, res est. Notum magis est, quam ut exponi a nobis debeat, post venena mineralia corrosiva ore hausta, illud superbibitum, aut etiam praeservationis gratia assumptum, effectus funestos abinde metendos praecavere & avertere, quatenus salia acria oleosa natura involvit, lubricitate canalem alimenterum defendit, ac vomitum excitando, expulsionem venenorum promovet. *Celsus* propterea illud remedium generale adversus omnia venena, vel in cibo vel in potione assumpta *loc. citat.* commendat, *commodissimum esse*, inquit, *ubi primum sensit aliquis, protinus oleo mulco epoto vomere. Deinde, ubi praecordia exhausta, bibere antidotum: si id non est, vel merum vinum.* Norunt id in suum commodum vertere circumforanei & agyrtae, qui, ut Theriacae ac Orvietano suo vendibili fidem faciant, assumpta prius quantitate olei atque jusculorum pingvium, venena im-

pune cum admiratione vulgi devorant. Neminem etiam latet, oleum scorpionum, suffocatione horum insectorum in oleo olivarum paratum, contra istorum non tantum, sed etiam aliorum animalium venenatorum, aut venenatos saltem effectus producentes ictus morsusque commendari, & cum fructu adhiberi. *Matthiolus Comment. in L. II. Dioscoridis p. 232.* ego, inquit, usu illud exploratum habeo, quod oleum per me factum, in quod sane magnus scorpionum ingreditur numerus, cordi duntaxat & pulsantibus manuum & pedum arteriis, illitum, ab omnibus liberat venenis. Quin & eos sanat, qui tam a viperis, quam ceteris venenosis animalibus vel icti, vel demorsi fuerint. Conferendo haec cum experimentis istis cum oleo olivarum factis, & cum effectu laudabili contra morsum viperarum observato, non immerito in animo nostro exoritur suspicio, fallaciam subesse, & quod scorpionibus in oleo isto infusis tribuitur, hoc

hoc idem per se praestare posse. Clarum enim nullatenus esse judicamus, quid oleo a scorpionibus, ex immersione eorum etiam vivorum accedat. Dices forte, sale volatili horum insectorum oleum hac ratione impraegnari? Nemo facile sibi persuaderi patietur, sal volatile, in succis horum insectorum glutinosis inclusum, hac infusione liberari, ac cum oleosa substantia uniri posse, qui novit, extremam ignis torturam in operationibus chemicis requiri, ubi sal volatile ex animalibus, eorumque partibus desideratur. Forsan autem scorpiones oleo immersi, perforando propriis aculeis, folliculum liquore venenato turgidum, eundem in oleum ambiens effundunt, sequae ipsos hac ratione interficiunt, ut vulgus fabulatur. Constat tamen, non propterea animalcula ista in oleo emori, sed quod aeris liberioris, ad vitam continuandam adeo necessarij, usu priventur. Eset etiam hoc, venenum veneno addere,

si vulnera recentia morfu ictuque animalium venenatorum facta, hoc oleo succo virulento scorpionum praegnanti, inungere vellemus, quoniam supra vidimus, salivam viperarum vulnusculis, instrumento acuto factis, instillatam, eosdem funestos effectus ac morsum earum, producere. Credendum potius est, solum oleum substantia sua unguinosa, lubricante ac demulcente illud praestare.

THES. X.

Modus operandi

Quod igitur nunc ad modum operandi attinet, quo oleum olivarum hoc perficit, id unice ab oleosa ejus natura pendere, ratio svadet. Etenim uti superius demonstratum est, dira illa symptomata morfu aut ictu, uti aliorum animalium venenatorum aut saltem iracundorum, vel rabidorum

dorum, ita etiam viperarum producta, a saliva vulneri simul instillata, proveniunt, quae iudice celeberrimo Hoffmanno in *Medicin. Rational. system. T. II. Patbol. General. P. II. Cap. II. §. IX. imprimis venenata qualitate imbuitur, quoniam est humor valde subtilis, fermentativae & spirituosae indolis, qua de causa, ut in scholio adjecto pergit, salivalis ille virulentus liquor, mediante morsu nervosis & fibrosis partibus insinuat, summe pernicialis. Vidimus quippe in antecedentibus, eundem natura sua salina spiculisque acribus, nervos non tantum laceffendo & irritando, spasmos atque affluxum humorum excitare, sed etiam in sanguinem penetrando, motum peregrinum, fermentativo analogum, inducendo compagem ejus dissolvere. Quid autem ad salia acria temperanda, spicula involvenda, rosiones ac irritationes, mox inde pendentes, praecavendas efficacius, quid ad partes membranosas & nervosas contra sti-*

F

mulus



mulos defendendas & solandas, spasmos sistendos, motus turbulentos ac fermentativos impediendos, potentius est substantia oleosa? Eam ob causam *Celsus lib V. cap. 27.* contra hydrophobiam, à canis rabidi morfu, projectionem aegri non opinantis in piscinam, non antea ei provisam, commendando, inquit: *Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus, in aqua frigida vexatum, nervorum dissentio absumat. Id ne accidat, a piscina protinus in oleum calidum demittendus est.* Alio antidoto adversus morsum viperarum se munire harum captores, memorat citatus *D. Mead l. e. p. 29,* quod quidem isti in secretis habent, ipse tamen diligenti investigatione tandem detexit: Nihil aliud hoc esse, quam axungiam viperarum, mox vulneri illitam, idem testatur, qui iteratis experimentis cum successu factis, de ejus efficacia confirmatus, affirmat, curam hanc adeo facilem & certam esse, ut nullo alio interno remedio opus sit, quia

quia dicta pingvedo substantia sua glutinosa & viscida involvat sal volatile liquoris hujus venenati, quominus spiculis suis crystallinis effectum virulentum edere queat. Idem valet oleum nostrum olivarum, quod vel ideo omnibus & pinguedini etiam viperarum anteferendum, quia ubivis locorum ad manus esse, ac in largiori copia membris laesis inungi potest. Multum ad ejus effectum promovendum valet calida inunctio, ut tanto intimius penetrare queat. Nihil igitur restat, quam ut continuatis experientis, efficacia ejus laudabilis in iisdem casibus ulterius confirmetur. Utrum istud eundem effectum contra ictus morsusque aliorum animalium edere queat, antequam usus id docuerit, affirmari quidem non potest. Nulli tamen dubitamus, cum in plerisque eadem est ratio, omniaque ista vulnera ob succum virulentum simul instillatum, potissimum horrenda illa symptomata producant, quin
idem

idem ab eo expectare liceat. Nihil itaque addimus, praeter votum, ut Divina benedictio prospero eventu in his casibus ancipitibus, opus hoc coronet, laborque noster ad solatium multorum afflictorum vergat.

DEO SIT LAVS ET GLORIA.




01 A 6509

ULB Halle

002 931 249

3







25.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

ANTIDOTO NOVO

ADVERSUS VIPERARVM MORSVM

PRAESENTISSIMO

IN ANGLIA HAUD ITA PRIDEM

DETECTO

QVAM

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO

PHILOSOPH. ET MED. D. ANAT. ET BOTAN. PROF.

PVBL. ORDIN. AC SOCIET. IMPER. NATVR. CVR. ET
REGIAR. LONDIN. ET BEROLIN. SOCIO

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XI. SEPT. A. S. M D C C X X X V I.

H. L. Q. C.

VENTILANDAM PROPONIT,

FRIDERICVS GENSLERVS *Gedanensis*

MEDICVS PRACTICVS.

VITENBERGAE, LITERIS SCHLOMACHIANIS.